


Πα
54

*Arcana discipuli
na sub Doctarum
fabulis.*

X 2316838

DECANVS
ORDINIS PHILOSOPHICI
 IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
A D A M V S
BRENDELIVS
 PHIL. ET MED. DOCT. HVIVSQ. PROF
 PVBL. EXTRAORD. PHYSICES
 ODINAR.
 IDEMQ. HOC TEMPORE
 IMPERIALI AVCTORITATE CONSTITVTVS
 COMES PALATINVS
 PHILOSOPHIAE AC POETICES
 CANDIDATIS
 S. P. D.



Handwritten initials: LG





Tanta quidem persuasum vulgo fere est, poetarum fabulas leuia-
quaedam, ac frugis expertia, otiosorum hominum commenta
esse, neque alio, quam ad puerorum animos, uana quadam
oblectatione demulcendos, referri: cum tamen sub istis, tan-
quam quibusdam inuolucris, omnis doctrina elegans, omnis in-
genuo homine digna scientia, omnis denique sapientia con-
tineatur. Platonem cito testem, qui poetas filios Deorum,
interpretesque, et parentes, ac duces sapientiae, uocat, propterea quod
praeeptiones doctrinae, ac omnis sapientiae, sub integumentis fabularum,
quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum uarieta-
te condire solent. Siue enim corrupti seculi mores exagitant; siue naturas ho-
minum fingant, easque ad uirtutem praeparent, et affuefaciant; siue rerum na-
turalium cognitionem, ac earundem causas, tradant, cuncta fabulis, tanquam uelis
quibusdam obtenta, proponunt, atque enarrant. Ita sentio, cum in mentem uenit
recordari Proserpinae, quam, comminiscuntur, ditem patrem, cum in Siciliae pratis
fiores narcissi colligeret, ex Enneium monte raptisse, abreptamque uirginem
secum asportasse, ac subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque
repente in eo loco exiitisse, quo Syracusani festos dies anniuersarios agebant, ce-
leberrimo uirorum, mulierumque, conuentu. Raptam Ceres mater, et supra mo-
dum contristata, cum nusquam reperisset, uniuersum terrarum orbem, accen-
sa taeda, quam in manibus prae se ferebat, ut amissam recuperaret filiam, pera-
grauit. Id cum frustra fecisset, accepto demum ab Arethusa, nympha, indicio,
quod ad inferos a Plutone deportata esset, multis Iouem lacrymis implorauit, ut illi
filiam, ab istis reuocatam, redderet: idque etiam se facturum ea lege, et condi-
tione, promissit, si nihil ex iis, quae apud inferos essent, gustasset. Sed Ceres conce-
pta spe excidit. Nam Proserpina tria, uel nouem, grana mali punicum comederat.
Neque iccirco Ceres a lacrymis desistit, quin iisdem fatigarit Iouem, permouerit-
que, ut Proserpinae alternatim sex menses cum matre, et totidem cum marito,
uersanti, facultatem fecerit. Proserpinam autem, aiunt, Theseum, et Pirithoum,
audita illius pulchritudine, rapturos, per taenarum ad inferos descendisse; cum uero
in itinere super saxo defessi confedissent, ab illo, uelut torpore tacti, et derenti,
resurgere non potuerunt, quousque Hercules Theseum, ui abreptum, liberauit,
relicto Pirithoo, qui ultro in ea pericula semet coniecerat. Proserpina igitur
inferorum regina manet, cui magnus honos habitus, et illud datum est, ut isti
demum ab inferis regredi liceret, qui ramum aureum dono attulisset. Hic ra-
mus unicus est, et in opaco luco prouenit, quo auulso, confestim aliter renascitur,
atque in decerpti locum succrescit. Poetae sub hac fabula naturae mysteria, ac
sigillatim uim, et facultatem illam in subterraneis, ex quibus uegarabilia proue-
niunt, et in quae rursus abeunt, occultasse uidentur. Tullius terrenam uim omnem,
atque naturam, diti patri dedicatam esse, scribit, qui dis apud Graecos *πλοῦτων*,
quia recidunt omnia in terras, et oriantur e terris. Is rapuit Proserpinam, quod
graecorum nomen est, ea enim est, quae *ἡγερεΐδων* graece nominatur, quam
frugum semen esse uolunt, absconditamque quaeri a matre fingunt. Ceres
autem filiam comminiscuntur poetae, quia femina, quae in terram sparguntur,
e frugibus adultis, et maturitatem consecutis, ortum ducunt. Rapta autem dicitur
Proserpina, idque apposite, cum narcissi flores in conuallibus colligeret, quia
narcissus torporem, si originem uocis perquiras, significat, quem odore, et halitu
suo, ut Plutarchus tradit, affert. Nam semen terrae commissum, in illa ob-
torpet quasi, nec confestim semet in flores, et fructus, induit, sed lente succum,
et spiritum, haurit, quo intus actum, germina sua euoluit, ac uerno demum tem-
pore in thyrsos diffunditur. Summus autem honor Proserpinae, qualis nulli deo-
rum uxori, habetur, quia rudimenta uegetabilis, in cicatricula seminis iam effi-
cta, a ui intus foecundata, incipio quasi Plutone, germinant, et succrescunt. Hanc
uim, tactumque, Ceres accensa taeda, quae solem denotat, allicit, ac sibi
conciliat, quia solis opera ad recuperandam Proserpinam permagna est, quo
quippe semen fotum, et blando tepore exfulciratum, germen agit, et defixum ra-
dicibus

dicibus, succrescit, quae est degustatio mali punici: haec si non contigisset, iam pridem a Cerere, cum taeda accensa terrarum orbem peragrante, abducrum, ac nimio adustum calore, raptum fuisset. Cereri autem Arethusa, nymphae, filiae raptum indicat, quae quippe est uis illa humectans, qua semen, quod a terra quasi raptum est, imbutum, germina sua protrudit, et semet prodit, Proserpina uero semestri consuetudine Plutonis, et matris, utitur, qua anni tempora distinguuntur; uer-
no enim, et aestatis, tempore cum matre uiuit, quo semina, in terra ante hac ueluti sepulta, surgunt, et ad superiora prodeunt, fructusque suos proferunt, reliquo uero, ac sigillatim hyberno, tempore apud Plutonem latent, quo semina, terrae concredita, ab illa abconduntur, ac ueluti in inferno conclusa, detinentur. Quod uero ad conatum Thelei, et Pirithoi, spectat, is progerminationem seminis declarat. Hoc facile in terram descendit, in eaque foecundatum, agit radices, quibus, semel defixum, haeret, nec inde, nisi adhibita ui, abduci, et e terra reuocari, potest. De ramo uero aureo, chemicorum est opinio, illam transmutationem metallorum, et confectionem lapidis istius, quem philosophorum uocant, declarare, a quo et aureos sibi montes, et corporum naturalium, tanquam e portis inferorum reductorum, reparationem promittunt. Crediderim autem huius lapidis procos, ac captatores, fato, fortunaque, Tanrali uti, de quo Homerus, et Euripides sigillatim, comminiscuntur, eum perpetua siti discrucari, et in aqua esse perpetuo, quae usque ad mentum assurgit, sed quoties eam attingere, et haurire, conicitur, illa statim refugit: quod et ipsam faciunt uaria fructuum genera, quorum desiderio semper torquetur, et diuexatur. Id autem rerum ueritas ruetur, et antiquorum monumenta docent, ueteres per hanc corporum naturalium conseruationem, et instauracionem, utpote a natura non abhorrentem, tamen abstrusissima sit, indicare uoluisse; ideoque ramum aureum inter infinita uirgula ingentis, et densissimae, syluae nasci prodiderunt, ex quo huius artis difficultas patescit: aureum uero illum finxerunt, quia aurum perennitatis ressera est, et ultra ueuulstatis, omnia consumentis, sortem enectum, perdurat, et ab corruptela, in quam reliqua corpora propendent, semet uindicat, iuxta ac tuerur. *Tempo autem mihi, quo minus plura hanc in rem commemorarem, quae sententiam, per se manifestam, magis illustrent, et diuersum sentientes moueant, ac impellant, ut haud grauato mihi assentiantur. Eo igitur minus ad Epicuri, prohi cetera, sapientisque, uiri opinionem accedo, cui poeticen, si ab rhetoricis discesseris, sorduisse, prodidum est: neque audiendus Torquatus, qui puerilem in poetis delectacionem quae siuit: multo minus assentior Lepido, qui apud C. Tacitum haec studia ut fluxa, et nullius frugis, incessit: neque me mouet Eratosthenes, qui Strabone, quamuis inuito, nihil poetis, praeterquam aniles quasdam fabulas, tribuit: neque etiam aliis ad stipulos, quibus iocus, ludusque, et otiosum est commentum, quicquid poetae literis consignatum reliquerunt, ut ultimae potius antiquitatis exemplis motus, contendam, poetas cum sapientibus dignitate exaequari consueuisse, neque interfuisse aliud inter poeticen, et philosophiam, quam quod illa doctrinas fabularum integumentis inuoluerit, haec eandem tradiderit apertas. Causam agat pro me, ut Democritum, Platonemque, praeteream, tam Fabius, cui cum musicis, philosophisque paria faciunt, quam Maximus Tyrius, qui uates a sapientibus sola aetate, docendique ratione, disiungit: pariter ac Lactantius, qui poetas, nondum nato philosophiae nomine, amplitudinem, personamque, sapientum sustinuisse commemorat. Ideoque Socrates, Plato, et Aristoteles, ut Dio Chrysostomus, et Themistius, memoriae prodiderunt, Homeri discipuli dicti sunt: Porphyrius autem, et Phauorinus de eius Philosophia libros scripserunt, nec disquirere dubitauit Aristocles Messenius, Homeruse, an Plato, excellentior esset, ac demum Dionys. Halicarnasseus pertendit, ab Homero cum aliam doctrinam omnem, tum perfectissimam philosophandi sapientiam dimanasse. Nihil in praesenti commemorabo de Hesiodo, et Arato Solense, aut Nicandro Colophonio, et Dionysio Alexandrino, uel Oppiano Cilice, qui et carminum laude celebres sunt, et doctrinis, quae ad uarias philosophiae partes respiciunt, abundant: et reticebo Tragicos ueteres, Aeschylum, Sopho-*

FK 11 d 54


Sophoclem, Euripidem, qui illustribus casuum humanorum documentis regiam fortunam informant, et grauitate sententiarum uitam erudiant, ac magna cura ius naturae, et gentium, docent: ac praetereo Comicos, Aristophanem, Menandrum, Philemonem, qui uitam praesentibus rerum exemplis ad decorum, in usu quotidiano, et familiari, necessarium, instruunt; neque in medium afferam Pythagoram, Phocylidem, Theognida, Callimachum, ac sigillatim Pindarum, qui nunc animum ad diuinarum rerum cogitationem incendunt, nunc ad honestatis amorem exsuscitant, ac pulcherrimarum doctrinarum copiis implent, atque instrunt. Idem sentio de poetis latinis, discipulis Graecorum innutritis, qui tam egregie philosophantur, ac tantas sapientiae opes dilargiuntur, ut summi saepe uiri pragmaticas artes, atque abstrusissimum prudentiae ciuilis pondus, in iis quaesierint identidem, et cum admiratione inuenierint. Quae cum ita sunt, demirari non decet, quamobrem maximi reges, et imperatores, poetas in familias ascierint, ac eorum consiliis in grauissimarum rerum conatu usi fuerint, atque Augustus fouerit Maronem, et Horatium, Domitianus Iuuenalem, et Statium, Bassianus Oppianum, Arcadius, et Honorius, Claudianum, et his multo superior Africanus Ennium, et Archiam, Lucullus L. Plorium, Pompeius Theophanem Mirylenaeum; sique Graecorum memoriam replicas, Polycrates Anacreontem, Hiero Aeschylum, et Simonidem, Dionysius Iunior Philoxenum, Antigonus Macedo Antagoram Rhodium, atque Aratum. Haec respiciens diuus Paullus, idoneas habuit causas, quamobrem in Arato, Epimenide, et Menandro, operam posuerit, et christiani nominis doctores, graeci, latinique, ac uiri in rep. uerlati, in eorundem poetarum studio multum otii consumerint. Ut minus proinde difficile erit, errorem illorum coarguere, qui poetice ob fabulas reiciant, quibus tamen reconditam esse ueterem philosophiam, declarat Maximus Tyrius, et plurimum utilitatis tribuit Dionys. Halicarnassensis, cum aliae naturae opera allegoriis occultant, aliae consolationem humanis afferant calamitatibus, aliae animorum perturbationes depellant, aliae prauas ex animis opinioniones euellant, et aliae alterius cuiusdam utilitatis causa sint excogitatae, atque propositae. Haec enim est eruditorum arcana disciplina, cui Grotius tantum debet, ut non alii magis; et praecclare CL. Boeclerus, CL. Boeclerus, inquit, seculi est, quod hodie non intelligimus, quanti philosophi sint poetae, siue etiam non audemus dicere. Videtis, Viri, et Iuuenes eruditissimi, quanta doctrinae opes sub poetarum fabulis abditae, continentur, quas soli perspicunt docti, et illi adipiscuntur, qui in istis peruestigandis industriam collocant, et laborum difficultates, quibus segnes deterrentur, omni adhibita animi contentione, superarint. Vos estis, Viri, et Iuuenes, omni eruditionis genere celebres, qui dum largam philosophiae, et poetics, sementem superiore tempore fecistis, nec fructum laborum uestrorum, qui ad instar seminum, in terram sparforum, per hyemem deliruit, cultis, iam ineunte uere, quo natura reuiuiscit, et in germine semet induit, resforescite, ac summos in philosophia, et poesi, honores, me, ante hac poeta, iam doctore physico, rite constituto, et praemiorum diribitore, in solempni patrum academicorum confesso, pridie Kal. maias designato, ac indico, capeffite, et amplissimum sparforum doctrinae seminum prouentum colligite, atque hac noua honorum accessione aucti, nouis, ac altis ueluti defixi radicibus, ferte fructus, qui in ecclesiae incrementum, et resp. ornamentum, redundant, ac uestrorum nominum existimationem foliis amaranti uiuentis in aeuum inscribunt. Adeste frequentes, Viri, et Iuuenes ornatissimi, ac, datis mature nominibus, certo Vobis persuadete, me nihil eorum, quae ad uestra ornamenta amplificanda pertinere uidebuntur, praetermissarum esse: ac insertis una in coelum manibus, mecum comprecemini, ut diuini, quod temporum, hominumque, fata dispensat, Numinis auspicio, Rex res suas gerat, ac Rector noster magnificentissimus iter suum ex animi sententia faciat, eoque confecto, integer ad nos reuertatur, ac serenissima Gens Saxonica inter aduersos temporum casus inuicta persistat, ac in aeternitate famae florentissima praesterit. P. P. Iplis Nonis Ianuariis 1000 XIII

X 2316838

DECANVS
ORDINIS PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
A D A M V S
BRENDIELIVS
PHIL. ET MED. DOCT. HVIVSQ. PROF
PVBL. EXTRAORD. PHYSICES
ODINAR.
IDEMQ. HOC TEMPORE
IMPERIALI AVCTORITATE CONSTITVTVS
COMES PALATINVS
PHILOSOPHIAE AC POETICES
CANDIDATIS

S. P. D.

BIBLIOTHECA
DANICORAVIANA



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

